

NEOVIDENSIS

Nro. 44. (*Neovidensis* 1806. Nro. 37.)

Ex Campis Elysiis
Dissertatio Politica
 De Francis, id est, liberis Herbi-
 politanis.

Elysium. -- Meum. -- Die Martis 20. Maji 1806. (Neov. 6. Maji.)

Sententia:

Tunc primo creatus est homo Francus, seu liber.]
Opitz.

Audite, dilecti incolæ Germaniæ! audite, & stupete, quomodo Dominus *Adelung* in suo lexico, illud tam pulchrum, tam svave, tam egregie vetus idioma germanicum redolens vocabulum *Frank* extra omnem usum ponat, obsoletum nominet, & tantum in communi vita proverbii instar valere affirmet. Forte ille præsentia tempora vaticinantis in modum cecinit, forte nostrum statum prævidit, forte nos hac nomenclatione indignos arbitratus est? — Præclarus Grammaticus hoc nomine nos in nativitate duntaxat insignivit: — Tunc primo creatus est homo Francus, seu liber. Nunquamne alias gaudebamus libertate, nisi dum *Opitzium* produxit.

Vox Francus sine dubio originem habet

ab antiquis Germaniæ populis, qui se Francos compellarunt. Erant illi illustres viri! Jam A. 237 sub Gordiano famam sui nominis circumtulere, percursarunt totam Galliam, sed progressu temporis sua gloria tenebras offuderunt cæteris omnibus Germaniæ populis.

Juxta relationes, quæ de illis extant, cum certitudine quidem asseri nequit, an olim unicum effecerint nationem, quæ alias vietas suæ subjecit potestati, an vero plures populi ad vindicandam suam libertatem sub hoc communi nomine se conjunxerint; si tamen aliorum temporum experientiam consulamus, videtur primum quam maxime accedere ad veritatem. Leibnitzius, & Eccardus ex documentis historicis conabantur demonstrare, illos ab initio per se subsistentem fuisse nationem, & trans Albim intra fluvios Epidoram, & Varnum incoluisse provinciam, medio ævo Albingiam septentrionalem dictam, quæ hodie Holsatiam, Lauenburgum, & partem Ducatus Megalopolitani complectitur, atque hinc confecto bello Marcomannico abivisse in viciniam Thuringiæ, & Salvagiam in hodierno circulo Franconico, ac demum ad Rhenum migravisse, ubi se illis Catti (*Hassi*) Amsivarii (*accolæ Amasis*) Chamavi (*pone Hammonam degentes*) Bruçteri, Attuarii, & alii populi adjunxerunt; cætera etiam uti lingua, forma vultus, & indoles animieos germanos esse probat. Ex memorato illorum primo domicilio illud etiam verisimiliter conficitur, populum, qui primum

franconicum fœdus formavit , ad veteres
Chaucos pertinuisse.

Franci sæpius trajecto Rheno fecerunt ir-
ruptiones in Galliam; A fluvio Sala profecti
sunt usque Treviros, & sub Rege Clodio A.
445 captis duabus urbibus Tornaco, & Ca-
meraco imperii fines protulerunt usque ad
amnem Sommam. Hic autem ipsos diutius
rerum potitos fuisse, docet detectum A. 1656
Tornaci sepulcrum Regis Childerici, Patriæ
Clodovæi.

Lex salica, quam ipsi gallici scriptores a
fluvio Sala, quem Franci accolebant, dedu-
cunt, creduntque esse ab hoc fluvio per Fran-
cos in Galliam translata, vi cujus fœminæ
ab imperio excluduntur, utramque facit pagi-
nam in historiis. Quanta sibi tribuant enco-
mia Franci, patet ex Præfatione legis Salicæ:
Celeberrima natio Francorum, ajunt, quæ
auctorem habet Deum, quæ in præliis stre-
nue dimicat, domi autem illi securitatem præ-
stant conventa pacis, excellit maturitate con-
siliarum, & firmitate corporis, intrepida est,
velox, indurata. Ita de se Franci.

Franci suos semper habebant Duces, qui-
bus suberant, postea nacti Reges monarchica
utebantur imperii forma, at propterea se li-
beros, id est francos esse gloriabantur. Ab
iis accepimus systema feudale, & instituti-
ones Religionis. Illi sunt memoratu dignis-
sima gens inter omnes tam Germanos, quam
reliquos Europæ populos.

Qui in Franconia remanserant, A. 684
Christianorum sacra amplexi sunt; In pulcher-

rima ad Moenum planitie ædificarunt arcem, amœnissimis pratis, & odoriferis herbis circumdatam, quam ab his svave olentibus herbis Vürzburgum dixerunt, deinde vero civitatem esse&iam latine Herbipolim. Hic erat Regia Franconici Ducis, Hatami, filii Ducis Goberti, quo sine prole mortuo Imperator Carolus Magnus totam provinciam hæreditate accepit, sed dono dedit Episcopo, ex quo tempore Herbipolitane regionis præfuerunt sacri Ansistites.

Sub tali plurium sæculorum regimine eruditi sunt incolæ Herbipolitani ritibus religionis. Agros colentes sunt fraudis imperiti, & morum, veterumque consuetudinum magis tenaces. Ibi posita erat crux, quæ toti viciniae nomen dedit; hic stabat sacellum, in quo fessus labore agricola vitæ futuræ conditionem expendebat. Rarissime commissa sunt in Statu Herbipolitano gravioris momenti scelera. Quisque in quiete pietati vacabat, usque dum eruperat bellum revolutionis, sed etiam in hoc pro virili defendit gubernium nexum germanicum.

Verum pax — vel potius Comitiorum decreta privarunt bonis germanicos ecclesiasticos Status, & cum illis etiam Herbipolanum, qui in provinciam Bavaricam fuit conversus. Quam tristis fuerit hæc immutatio — post tot sæculorum intercapedinem — quisque facili negotio assequitur. Sed hæc etiam sorte contenti fuere officiosi Franci, manifesta enim dederunt novo Domino fidei suæ argumenta; licet omnia, quæ veterem Theocratiam spirita-

bant, funditus fuerint eversa. Ordines Religiosi dissoluti sunt, monumenta religionis, quæ magnificentum præbebant pietati Majorum testimonium, prostrata. Nova comparuit vis, quæ post iteratum bellum Herbipolitanam provinciam in pace Posoniensi pristinae restituit libertati. Elector Ferdinandus illam obtinuit. Atque hoc est beneficium, ex pugna ad Austerlicz comissa enatum, cujus benigni Superiori, qui suorum nunquam obliviscuntur, Herbipolitanos participes fecere, Gaudete o probi! novus vester Princeps est in medio vestri.

Lego descriptionem ejus ad vos adventus; Dies prima Maji, dicunt vestrae ephemerides, post tot procellas lætissime nobis illuxit, adventura est Ferdinandum, qui Norimbergæ pernoctavit. Hora 5. matutina civica militia edidit turcica musica svavissimum jubulum. Datum est mandatum, ut singuli circa meridiem ante Regiam congregentur, excepturi diu desideratum. Interea Civitas peregrinis undique adventantibus replebatur. Volebant isti spectatores esse, ac testes nostri amoris.

Usque horam primam percursabant in tota Civitate tubicines, & tympanotribæ cum concentu musico. Tum vero solenni cum pompa occupata sunt sequentia loca: Ad novam portam constitit amplissimus Magistratus traditurus novo Rectori claves urbis, inde non procul stetero mercatores, splendide vestiti, equis insidentes, hos excepti civica militia cærulea veste induta, quæ utrinque plateas occupaverat. Pone theatrum quoque collo-

cati erant cærulei milites; In foro ante Regiam conspiciendos se præbuerunt equites, & venatores. In vestibulo Aulae visebatur scholastica juvenus cum suis magistris, & choro metallicorum; In primariis gradibus expectabat multum dilectum Ferdinandum corona 16 puellarum floribus ornatarum, porrectura dona innocentiae. Ultimo loco stabant ordines provinciales, Collegium Canonorum, universa nobilitas, Curator Universitatis cum Professoribus, & venerabilis Vicariatus.

Hoc ordine positi præstolabantur pleni desiderio videndi optimum Patriæ Patrem, Kitzingæ appropinquantem, ubi diversis sermonibus amorem exprimentibus exceptus est. In collimitio viæ Kitzingensis, & Dettelbachensis benigne acceptata fidelitatis promissione venatorum Dettelbachensium propius accessit ad futuram suam Sedem Herbipolitanam, unde innumera multitudo moræ pertæsa ei per sic dictum patibuli montem obviam processit.

Auditur hora 4. pomeridiana, & Ferdinandus multum dilectus imminet urbi. E longinquo datur tormento signum lætissimi ejus adventus, cui alia 100 in incensibus soluta respondent, pulsantur campanæ, universalis fit motus in numerosa multitudine se ad ordinem componente, Officiales in splendore dirigunt suas legiones, resonant tubæ, & tympana; Silentium premit omnium desideria, & communis, quies internum gaudium. Totum erat ad magnificentiam compositum.

Repente undique conclamatur: *Vivat!* Ille autem in comitatu Kitzingensis, & Det-

telbachensis Magistratus, mercatorum, equitantium civium, & cursus publici personarum suscipit ad portam, præmissa dictione, quam noster meritissimus supremus Consul Brochius habuit, claves urbis in rubro byssino pulvillo. Per medios transit mercatores, & cives ovantes, obortæ illi nonnunquam lachrymæ propriam Domui Austriacæ humanitatem non inturbant; intimo cum animi sensu accipit in suo palatio dona amoris, prodit in publicum, exaudit acclamationes, salutatur transeuntes copias, & subducit se ex oculis populi, qui diutius adhuc ejus conspectu frui cupivisset.

Solennis hodiernæ diei pompa finita est, magnifica fuit, & unica in suo genere, sequentur aliæ. —

Bone Deus! tempore, quo omnes populi mærore confecti incedunt, & de durante adhuc pacis bello, — verum enim non geritur — palam & occulte in questus effunduntur, beatum reddis populum, gaudiis cumulas, & tranquillitate. Hujus solatii materiam præbet nepos Mariæ Theresiæ; ita superstes manet virtus proborum post eorum etiam mortem; ita tripudiat populus — vel ad memoriam Imperatricis, quæ omnium corda regebat, ita venerantur Herbipolitani in Ferdinando sanguinem, qui nonnisi in venis proborum fluere consuevit. Oblitus calamitatum belli Francus perfunditur voluptate felicitatis; sed eheu! — ejus vicini adhuc ipso vultu dolorem animi præferunt. Ex animo precantur illi suis popularibus, & toti Germaniæ eandem felici-

tatem, quam recentiora tempora perturbarunt. Deus Optimus Maximus servet incolumem novum Principem: Vivat Ferdinandus — vivat quam diutissime — sed inter Herbipolitanos. Nulla vicissitudo nos amplius repleat mæstitia, nulla mutatio invertat sortem Rerumpublicarum. Vivat noster Elector, noster terræ dominus, nepos Mariæ Theresiæ; vivat Ferdinandus!

Resolutio Problematis Nro 31. propositi.

Sit pecunia primis tribus annis consumpta = x , erit pecunia consumpta sequentibus tribus annis = $\frac{x}{4}$, aliis tribus = $\frac{x}{16}$ &c. Sit porro pecunia ultimis tribus annis consumpta, seu 10000 + a , summa consumptæ pecuniæ toto peregrinationis tempore, nempe 1000000 — 150000 = 850000 = s , sequens oriretur progressio: $x, \frac{x}{4}, \frac{x}{16}, \frac{x}{64} \dots a$. Est autem in qualibet progressionem geometrica, retentis iisdem valoribus, $x = s + m(a - s)$ litera m , exponentem progressionis denotante; substitutis itaque valoribus, est $x = 850000 + 1/4 (10000 - 850000) = 640000$; hinc $\frac{x}{4} = 160000$, $\frac{x}{16} = 40000$.

Id est:

Primis tribus annis consumpsit 640000 fl. aliis tribus 160000, sequentibus tribus 40000, ultimis tribus 10000; peregrinatus est $4 \times 3 = 12$ annis; denique $30 + 12 = 42$ -do ætatis anno terminavit peregrinationem.

Josephus Baczo,
Geometr hungarus.
